

**MARSILII·FICINI****APOLOGIA, IN·QVA·DE·****Medicina, Astrologia, Vita mundi, Item de****Magis qui Christum statim natum****salutauerunt, agitur.**

**M**ARSILIVS FICINUS Florentinus, dilectissimis suis in ueritatis studio fratribus, tribus Petris, Nero, Guiciardino, Soderino, ter quaterq; salutem. Rectius modo Tripetro quam tribus Petris fortasse dixissem. Sicut enim ubi palma est una, non faciunt plures in ea digiti manus ibi plures: sic uestra amici corpora tria nihil prohibere uidentur, quo minus unius efficiat Petrum una uoluntas. Faber ille coelestis patrie Christus tam ingentem procreauit petram, ut immenso huic edificio ecclesie sue una haec petra fundando sufficeret. Ego quoque tam grandes nactus sum diuina quaedam sorte petras, ut tres nunc meo uel arduo satis edificio faciant. Nunc uobis amici nunc, si nescitis arx illa Palladis necessaria fore uidetur, qua procul a nobis seuum impiorum gigantum impetum arceamus. Quare uestra primum arce tribus constructa petris, trium librorum meorum uita, uita publice succurrentium munire decreui. Scitis (ut arbitror) me de **V**ita librum composuisse, in libello **treis** diuisum: **Q**uorum primus de **V**ita sana, **S**ecundus de **V**ita longa, **T**ertius de **V**ita coelitus inscribis

betur. Igitur esca tituli tam suavis quā plurimos alluciet ad gustandū. Sed in numero tanto ignorantes pleriq; futuri sunt (ut arbitror) maligni quoq; nō pauci. Alius ergo dicet: Nōne Marsilius est sacerdos? Est profectō. Quid igitur sacerdotibus cū medicina? Quid rursus cū Astrologia cōmercij? Alius item: Quid Christiano cum magia uel imaginibus? Alius autē, & quidem indignus uita, uitā inuidebit cōelo. Cuncti deniq; sic affecti, beneficio in eos nostro ingrati nimis erunt, atq; aduersus charitatem nostrā, qua uitæ prosperitatiq; publicæ pro ingenij facultate consulimus, nō pudebit esse crudeles. Communis igitur erit uobis iste labor: sed ut quodammodo leuior sit, tres enim estis aduersum tres hostes, distributū subite certamen. Nec inuectiua (noui enim ingenium uestrum) consutabit inuectiuam, sed alieni fellis amaritudinem (quæ uestra suauitas est mirifica) uestri mellis dulcedine superabit. Principio candidissime Nere respondeto primis, antiquissimos quondam sacerdotes fuisse Medicos pariter et Astronomos. Quod sanè Chaldæorū, Persarum, Aegyptiorū testificatur historiæ. Ad nullum præterea magis quā ad piū sacerdotem pertinere singularis charitatis officia, quæ quidem in maximo omnium beneficio quammaxime lucent. Officiū uero præstantissimū est procul dubio, quod & maxime necessarium, & in primis ab omnibus exoptatū, efficere uidelicet, ut hominibus sit mens sana in corpore sano. Id autem ita demū præsta-

Priscos sacerdotes fuisse tū Medicos tum astrologos

re possumus, si coniungimus sacerdotio medicinā. At quoniam medicina sine fauore cœlesti (quod & Hippocrates Galenusq; consentitur, & nos experti sumus) sepius est inanis, sepe etiam noxia: nimirum ad eandem sacerdotis charitatē Astronomia pertinet, ad quā attinere diximus medicinam. Eiusmodi (ut arbitror) Medicū honorari sacræ literæ iubent, quoniā propter necessitatem hunc altissimus procreauerit. Et Christus ipse uitæ largitor, qui discipulis mandauit, languentes toto orbe curare, sacerdotibus quoq; præcipiet, si minus uerbis ut illi quondam mederi possint, saltem herbis & lapidibus medeantur. Quæ si minus ipsa sufficiant, opportuno quodam afflatu cœli cōflare hæc, & ægrotis admouere iubebit. Nam & ipse eodem afflatu cœli animalia passim ad suam quæq; concitat medicinam, usq; adeo uitæ omnium abundantissime prouidet. Sic instinctu cœlesti diuinitus instigante, serpentes quidem marathro, hirundines autē chelidonia oculis medicantur: Aquilæ uexatæ partu Aëtitem lapidem diuinitus inuenerūt, quo feliciter oua statim enterentur. Itaq; deus ipse, qui per cœlum animalia quæuis ad medicinas instigat, sacerdotes certe permittit nō mercede in quā, sed charitate medicinis cœlitus cōfirmatis morbos expellere. His uero tu deinceps plura etiam si expedierit ingenij tui aculeis addes. Surge post hæc et tu Guiciardine uehemens, atque curiosis ingenijs respondeto, magiam uel imagines non probari quidē à Marsilio, sed

filio, sed narrari, Plotinū ipsum interpretante. Quod et scripta planè declarāt, si æqua mente legātur. Neq; de magia hæc prophana, quæ cultu dæmonū nititur, uerbū quidem ullum assuecari: sed de magia naturali, quæ rebus naturalibus ad prosperam corporū uasletudinē celestium beneficia captat, effici mentionem.

Quæ sanè facultas tam concedenda uidetur ingenijs legitime utentibus, quàm medicina & agricultura iure conceditur: tantoq; etiam magis, quanto perfectior est industria, terrenis celestia copulans. Ex hac officina

Magi omnium primi Christū statim natum adorauerūt.

Quid igitur expauescis Magi nomen formidolose? nomen Euangelio gratiosum, quod non maleficum & ueneficum, sed sapientem sonat & sacerdotē. Quidnam profitetur magus ille uenerator Christi primus? Si cupis audire, quasi quidā agricola est, certe quidam mundicola est. Nec propterea mundum hic adorat, quem admodum nec agricola terram. Sed sicut agricola humani uictus gratia ad aërem temperat agrum, sic ille sapiens, ille sacerdos gratia salutis humanæ inferiora mundi ad superiora contemperat: atq; sicut oua gallinæ, sic opportune terrena subijcit fouēda celo. Quod efficit semper ipse deus, & faciendo docet, suadetq; facere, ut à superis infima generentur & moueātur atq;

regātur. Deniq; duo sunt magiæ genera: Vñ quidem Magiæ duo genera. corū, qui certo quodam cultu dæmonas sibi conciliant: quorū opera freti fabricant sæpe portenta. Hoc autē

penitus explosum est, quādo princeps huius mundi eie-  
 ritus est foras. Alterū uero eorū qui naturales materias  
 opportune causis subiiciūt naturalibus mira quadā ra-  
 tione formādas. Huius quoq; artificij species duæ sunt:  
 Altera quidem curiosa, altera necessaria. Illa sanè ad  
 ostentationem superuacua fingit prodigia: ceu quando  
 Persarū Magi ex saluia sub fimo putrefacta, dum Sol  
 & Luna secundam Leonis faciē occuparent, eundemq;  
 gradum ibi tenerent, generabāt auem merule simile,  
 serpentina cauda, eamq; redactā in cinerē infundebāt  
 lampadi, unde domus statim plena serpentibus uideba-  
 tur. Hoc autē tanquā uanū & saluti noxiū procul effu-  
 giendū. Tenenda tamē species necessaria, cum Astrolo-  
 gia copulans Medicinā. Si quis autē pertinax ulterius  
 instet, morē huic ita gerito Guiciardine, ut ne legat hæc  
 nostra, nec intelligat, nec memincrit, nec utatur homo,  
 si homo est, tāto beneficio prorsus indignus. Multa sunt  
 præterea quæ tu aduersus ingrātā ignorantia in mediū  
 afferre tuo ingenio poteris. Quidnā agis et tu strenue  
 Soderine noster? Tolerabis ne supersticiosos cæcosq;  
 nescio quos futuros, qui uitā in animalibus uel abiectissi-  
 mis, herbisq; uilissimis manifestam uident: in cælo, in  
 mundo nō uident? Tam uero si homunciones isti uitā mi-  
 nimis cōcedunt mundi particulis, quæ tandē dementia  
 est, quæ inuidia, nec nosse, nec uelle totū uiuere in quo  
 uiuimus, & mouemur, & sumus? Quod quidem canit  
 Aratus, louem manifeste significans cōmunē corporis  
 mundanū

mundani uitā. Peropportune nunc in hæc Arati uerba  
nescio quomodo uideor incidisse. Memini Lucā euange  
listam, memini Paulū apostolū his uerbis libenter uti,  
in quibus mundi uitā sapientes illi nō horrent. At uero  
superstitiosus quidā his obijciat, non facile conuinci ex  
uerbis eiusmodi Paulū assentiri mundū habere animā,  
sed tantū subesse Deo, ac nos in hoc ipso Deo uiuere.  
Esto igitur, ne nominemus in mūdo, quādo nō placet,  
animā. Nomen anima sit prophānū. Licebit ne saltem  
uitā qualem cunq; dicere? quam Deus ipse mundi faber  
huic operi suo tam feliciter absoluto clemēter inspiret:  
quandoquidē erga uilissimā quæq; uiuentia nō est aua  
rus, & quotidie per cœlum quamplurimis quæ sunt in  
eo largissime præstat uitam. Dic amabō, nōnne uides  
boues & asinos, ô bos, ô asine, qui tactu quodam ex se  
uiuētia generant, esse uiuos? Si ergo hæc præterea ex  
se uiua quædam aspectu etiā generarent, an non multo  
magis hæc uiuere iudicares? si quod modo ipse iudiciū,  
si quam uitā habes. Cœlum terræ maritus, non tangit  
(ut cōmunis est opinio) terram: cum uxore non coit,  
sed solis siderum suorum quasi oculorum radijs undiq;  
lustrat uxorem, lustrando fecundat, procreatq; uiuen  
tia. Num ergo uitam uel intuēdo largiens, ipsum in se  
propriā nullam habet uitam? Et quod dedit aui Stru  
thio uitam aspectumq; uiuificū, longe est hoc ipso de  
terius. His tandem adductis in mediū nisi persuaseris,  
superstitiosum istum mittito semiuiuum, imò uero non

**Christo-  
phorus  
Landinus.**

uiuum. Proinde ut pluribus causam nostram patronis  
agamus, addito Petre mi Nere Amphionem illum no-  
strum Landinum Christophorū oratorem pariter et  
poētam. Ille noster Amphion suauitate mira celeriter  
lapidea hostiū nostrorū corda demolliet. Tu uero Gui-  
ciarāne charissime compater, ito nunc, ito alacer, Po-  
litianū Herculem accersito. Hercules quondam ubi pe-  
riculosius certandum foret uocitabat Iolaum: tu nunc  
similiter Herculem. Nosti profectō quot barbara mon-  
stra Latium iam deuastantia Politianus Hercules inua-  
serit, lacerauerit, interemerit, quā acriter expugnet  
passim, quā tutō propugnet. Hic ergo uel centū hy-  
dre capita nostris liberis minitantiā, statim contundet  
claua flammisq; cōburet. Eia mi dulcissime Soderine,  
surge age, Picum salutato phœbeum. Hunc ego sepe  
Phœbum appello meum, ille me Dionysium uicissim  
atq; Liberū. Fratres ergo sumus. Nuncia Phœbo meo  
uenenosum contra nos Pythonē, ex palude iamā emer-  
gentē. Tendat arcū obsecra, precor. Confestim spicula  
iaculetur. Intendet ille protinus, scio quid loquar, uene-  
numq; totū semel una nece necabit. Valete iam feliciter  
amantissimi fratres mei, nō ualetudine tantū felici, sed  
ipsa etiā felicitate digni: liberorumq; meorū in lucem  
iam prodeuntū ualetudinem felicitatemq; curate.

**Picus Mi-  
randulæ  
Comes.**

Decimoquinto Septemb. M. CCCC.

LXXXIX. in agro Caregio.

APOLOGIAE. FINIS.

QVOD

ad uitam securitas & tranquillitas  
animi.



**M**arsilius Ficinus dilectissimis in ueritatē uenatione fratribus Bernardo Canisiano, Iohanni Canacio, & Amerigo Cursino salutem. Quum primis hic in uerbis uenationē quandā instituissemus, meritō forsitan canes statim adhibuimus et cursores. Apte quidem philosophantes appellauimus uenatores, anhela semper ueritatis indagine laborantes. Num etiam apte canes? Aptissime inquit in Republica Socrates: Philosophantes enim uel legitimi sunt uel spurij. Ambo canes. Illi quidem ueritatē ipsam sagaciter inuestigant, mordicus inuentā tenent. Hi uero pro opinione latrāt, mordent, lacerant. Tantū profectō canes inter philosophos sibi uendicāt, ut nō solū seipsos in sectā aliquā inseruerint, sed etiam sectam ipsi suam nomine Cynicam quandoq; confecerint. Habet quinetiā suos Academia canes. Huc ergo uos sagaces Academiae canes, huc uos uelocissimi cursores aduoco. Treis enim estis. Treis ergo nūc meos precor defendite liberos adhuc teneriores, inter lupos (ut uereor) uestigio prodituros. Currite inquam alacres, negotia enim nunc uobis optata mando, nō curas. Georgium Benignū Saluiatum cognoscitis meū, qui ueritatem illam, per cuius nunc uos uestigia passim uenando discurritis, iandiu est sagaciter assequutus. Qui et fratres suos Solis instar, maior ipse minores illustrat.



**N**uic igitur si quē luporū ululatū audieritis, nunciate.  
**F**ortissimus ille **Georgius** omnes facile fugabit lupos,  
 qui & uastum draconē quandoq; transfixit. Ille me igi-  
 tur, ille sollicitudine simul & uos, cura leuabit. Solet  
 enim inter uos aliquis, & quidem iam sepius dicere,  
 nihil ad uitā salubrius experiri, quā magna cum se-  
 curitate tempora deglutire. **C**eteri uero dicenti protin-  
 nus arridere. **S**ed dic age **Canaci**, quidnam hoc tuū est  
 toties repetitū, **T**empora deuorare? **Q**uid deniq; tibi  
 uis? **N**ō esse inquit, sed bibere potius: nō mandere uel  
 conterere, sed faucibus plenis ingurgitare. **S**iquidē tem-  
 pus ipsum natura quaedam est liquens (ut ita dixerim)  
 atq; labilis. **L**iquentiū uero hęc est conditio, ut si cohi-  
 beas in angustū, subito perdas. **D**iffluunt enim coacta  
 celeriterq; diffugiunt. **S**i aquā spongīe imbibitā fortē  
 cōpresseris, exprimes eam, statimq; disperges. **S**i latius  
 hanc tenueris, retinebis: multo magis aërem, ignemq;  
 & etherē. **N**unc apud **P**oetas frustra contendunt, qui  
 ampla **D**iuorū manium uel simulacra ulnis capessere  
 moliantur. **L**ate admodum accipienda sunt latissima.  
**L**iquentia & amplissima sunt amplissime possidenda.  
**T**ūc certe grauius nos premit angustia, quādo animū  
 ipsum motumq; eius naturaliter amplū, redigimus in  
 angustū. **Q**uicunq; studia negociaq; pensitāt examus-  
 sim, & in minima quæq; semper exactissime deterunt,  
 uitā interea suam, heu suam uitā clam miseri cōterunt.  
**R**ecte igitur **P**ythagoras præcepisse uidetur: **C**auere ne  
 quando

quādo in angustū fortē cohibearis: nihil cælo amplius  
 nihil est uitalius, Angustissima uicissim terra uitam ha  
 bet in mundo quam minimā. Deniq; si cælo temporeq;  
 uiuimus, quanto hæc latius absorbemus, tanto uiuimus  
 & diutius. **Viuite ergo lati ab angustia procul ô ami  
 ci. Viuite læti. Lætitia cælum uos creauit sua, quā suo  
 quodā risu, id est dilatatione, motu, splendore declarat  
 quasi gestiens. Lætitia cœlū uos seruabit uestra. Ergo  
 quotidie in præsens uiuite læti. Nam sollicitudo præsens  
 rapit uobis præsens, præripitq; futurū. Curiosi  
 tas futurorū celeriter in præteritū uos traducit. Iterū  
 igitur precor atq; iterū, uiuite læti. Nam fata sinunt,  
 dum securi uiuitis. Sed ut reuera sine cura uiuatis, ne  
 unam quidem hanc curam sumite, qua solliciti curetis  
 unquā, qua potissimū diligentia curas effugiatis. Vna  
 enim cura hæc mortalibus heu miseris omni cura cor  
 urit. Negligite igitur diligentia, negligentia uero dili  
 gite, atque hanc etiam negligenter, quoad licet uobis  
 inquā, atq; decet. Hæc autē non tam ut sacerdos amici  
 mando uobis, quam ut Medicus. Nam absque hac una  
 tanquam medicinarum omnium uita, medicine  
 omnes ad uitam producendam adhibite**

moriuntur. XVI. Septembris,

M. CCCC. LXXXIX.

In agro Caregio.

**N**on abs re nobis uisum est his de **V**ita libris, eiusdem auctoris **E**pidemiarū **A**ntidotum ueluti coronidem adsuere: quā ille quidem sua uernacula lingua, hoc est **T**huscana, precibus amicorū conscripserat. **N**unc uero hic uitæ thesaurus à **H**ieronymo **R**icio **T**icinensi in coloniam **R**omanam deriuatus est, ut si unā cum uoluptate & cōmoditatem metiaris, non sit aspernabilis. **T**raduntur in eo morbi nedum definitiones, causæ morbi effectrices, signa, uerumetiam prophylactica, & præsentis mali curationē, uarijs diuersisq; corporibus accōmodatas, mira breuitate simul atque facilitate perstringens medelas. **H**is fretus præsidij uitæ & sanitatis rationem in eas, tibiq; persuade.

*Ανδρι δε υγιαίνειν αεισομ, ως  
γέμοι δουκί.*